Celejowicz Matthiae Pauli: Laurus Delphica sinistro sidere in feralem cupressum versa.

LAVRVS DELPHICA,

Siniſtro Sidere
IN FERALEM CVPRESSVM
VERSA;

In dolendo funere

CLARISSIMI *olim* ET EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. M. MARTINI FIDETOWICZ,

Philoſophiæ Doctoris & Profeſſoris, Collegæ Minoris, Ordinarij Poëſeos Profeſſoris, S. R. M. Secretarij, &c.

Dum Suum Laureatum Caput,
crudeli Parcarum ferro proſtratum
In Auguſtæ Divæ ANNÆ *Baſilica, ad Sacrum Diviniſſimi* PATRIARCHÆ

IOANNIS CANTII


MONVMENTVM,
mœſto frequentiſſimorum Almæ Vniverſitatis Ordinum
& Hoſpitum dolore tumularetur,
dolentis & amicæ pennæ lacrymis

M. MATHIÆ PAVLI CELEIOWICZ,

In Alma Vniverſitate Studij Generalis Cracovienſis Philoſophiæ Doctoris, in Collegio Novoduorſciano Dialectices Profeſſoris, Contubernij Siſiniani Senioris, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarij.

IRRIGATA.

Anno Domini 1701. Die verò 6 Maij.



CRACOVIÆ.
Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ordinarij Typographi.

L A U R U S

IN FERALEM CVPRESSVM VERSA.

IMmensus Libitinæ sævientis furor,
ita usq; obice nullo rebus in humanis perniciosus est;
ut, ad summum se se attollens,
ornatos hederis pallentibus, & virgine Lauro nitentes vertices prosternat.
Furit turbulento gressu,
imò grassando illabitur in Sacras Scientiarum porticus;
et quò, vix sese tacito pede Heliconia Cohors inferre confidit,
illa rapax, & animarum prædatrix nobilium, irruens;
quidquid in Orbis delicium & stuporem fulgentior eduxit Phœbus,
profanat & prosternit.
Laxat spargitq; turgentes illas Laureis virentibus comas,
è quibus, solidæ fructus Sapientiæ, dulce & ambrosium Divini nectaris modulamen,
& pullulare, & promanare queant.
Rem in plano linquit;
odium inter fata & Sapientes perpetuum esse.
Triumphantur illa Virorum immortalibus scriptis,
ipsa quoq; immortales Eos triumphant;
sed post suæ libidinem iræ, immortales efficiunt.

Dedêre Theophrastis atq; Homeris squallentes urnas,
ut ossa, non animas æternæ capaces immortalitatis arctarent.
Sophocli, Stagyritæ atq; Platoni, extremum immisêre diem,
sed somno nisi sepultos, perenni memoriâ Superis æquârunt.
Intereunt, in quos, inter projectas curas, mors vel invita impingit,
vivunt perpetuam vitam, qui cum vita, laboris finem fecêre.
Eum sibi certè virtutum prodroma Laurus
cælitùs collatum gloriatur honorem,
nec manu Parcarum frangi, aut profanari;
nec dejectis cœlo fulminibus concuti.
Vibrârunt immane robur, & crudelem torsêre potentiam suam
in Te,
Clarissime olim, & Excellentissime Domine,

D. M. MARTINE FIDETOWICZ,

Philosophiæ Doctor, & Professor, Collega Minor, &c.
ut, dum benigniores Zephyri genitricem arborum terram dulci afflatu excitando,
virentes comas relaxant,
Tibi istam eruditæ frontis gloriam rumperent, an raperent.
Sed Tu immanium livori portentorum in victimam & triste holocaustum mactari
indignum ratus,
illa in Vrbe, in qua se Celsissimorum Craciados ANTISTITVM
Præsuleæ Vittæ ad primam aptant explicantq; lucem,
vitalem auspicatus auram;
contra vim acerbam fati, armari,
perennè vivere, nunquam mori, assvevisti.

Calcar Tibi benè merentium gloria & ſtimulus ad virtutem fuit.
Latens in juventa magni ingenij lumen in abdito recondere nolens,
in celſam Divi IAGELONIS Regiam tuliſti,
ut olim lucida ingeniorum Pharos conſpicerere.
Ita certè: *felites animas virtus à cunis exambit,*
ut maturum ſeris in annis fructum producant.
Inſidet maſcula pectora puſionum,
ut viri, Doctorales exedras inſidentes, lumen gloriæ inextinctum effundant.
Neq; in Tuo generoſo pectore aliam invenerat ſtationem,
quàm, quæ in auguſtum ampliſsimæ famæ triclinium, eſſet tranſitura.
Nimirum: ut tantùm fronte primam Lauream tuliſti,
protinus, pro multis Diviniſſimorum Urbis Craciæ Patronorum Roſtris, Tullius;
in ſtrepentibus Philoſophantium Exedris, Plato;
nobiliſsimæ Sarmatarum Indolis manſuetus Chiron,
ita Patrum Senatûs Academici Conſcriptorum oculos
in Te, Tuamq; virtutem vertiſti,
ut Naſcentib⁹ Neo-Corczyni Muſis nutriendis educandisq; fueris delegatus.
Nitentes equidem Phœbi radios celſior aſtris virtus Tua imitata,
una terræ parte luxiſſe non ſatìs habuit,
ni remotiùs quoq; niteret.
Sed Te, anguſtijs illis, ſuccreſcens altior Laurus evocavit,
ut ſudata anxios inter labores tempora revinxiſſet.
Redieras à novo Camœnarum climate, tam palleſcens;
quàm Luna nimbi prænuntia copioſi:
ut certiùs cuiq; in Te oculos vibranti conſtaret,
Te ad integros Lunæ circuitus voluminibus impalluiſſe.
Non ſterile certè Scientiarum Caput Tuum, exambivit Laurus,
magnam utiq; proceritatem habitura.
Doctoralibus namq; Laureis inſignitus, nil non Doctore dignum feciſti,
ingenioſo calamo, & Cecropio cothurno,
tot virorum Illuſtrium dolentiſsima funera deplorando.
Neq; tantùm blanda Tua canna dolentibus maduit lacrymis,
ſed heroicas quoq; Virorum laudes & immortalia facta
præconijs ad Superos tollens, dulce Muſis texuit an miſcuit otium.
Non ex vano:
Tripos Ille Sarmatiæ Aureus, & Oraculum Delphicum,
è cujus ſinu, Sacra Themis, ſuam ſuſpenderat Bilancem;
memorandus pro bono Patriæ Zelotes, veruſq; Illius Defenſor,
Illuſtris olim & Magnificus Dominus,
D. STANISLAVS in Mecina KRZESZ
Iudex Becenſis, Enſifer Braslavienſis.
Magnarum Tuarum Virtutum Interpres & Cenſor,
ita Te unicè complexus erat;
ut geminum Illuſtris ſuæ Proſapiæ tenellum Germen,
Lucida Tyndaridæ ſigna, Expectatiſsima Sarmatiæ Lumina;
Magnificos: STANISLAVM ET FRANCISCVM
Profeſſoralibus Tuis Vigilijs ſpectandos & dirigendos commiſerit.
Si moleſtos prementesq; Tuos in Novodvorſciano Lycæo prætercam labores,
Litavus Lechicusq; Orbis, & remotum Belgium,
Tuæ Germinibus Scientiæ,

Sago, Togâ, Prudentiâ & Consiliô conspicuis, profitebitur,
se se exantlatis Tuis laboribus hac singulari claritudine lætari.
Nempe: Tu ipse gradatim ad summum laborem ascendens,
Vniversos in summo locare desudabas.
Ita demum: tantarum congestu virtutum optabili,
Honores, quos aliena ambitio velut umbram præ se fugientem voto captabat inani,
Tu modesto de Te sensu contemnens, velut Tui sequacem umbram traxisti.
Namq;. Vnus Ille inter Miracula, Plinios Tacitosq; post se habens,
Lechicæ Decus unicum Suadæ
Perillustris & Reverendissimus Dominus,

D. M. MARTINVS WINKLER,

Lechicarum Gloria Athænarum æviterna;
ita in Tui incubuerat singularem amorem,
ut Regimini Tuo, suæ commissum curæ Contubernium Hierosolymitanum
concredendum ab Almæ Matris Ordinibus expetiverit,
Te expetitum imo pectore condiderit.
Eam Tibi obventuram sortem felicitatemq;, certò constabat,
quia, *Magnifici Perillustris, & Reverendissimi Domini*,

D. M. MATHIÆ PSOIECKI,

S. Th. & V. I. Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis Canonici, Collegiatarum, SS. Omnium Cracoviensis Præpositi, Opatoviensis Decani, Curati in Orick, Contubernij Iagielloniani Provisoris S.R.M. S.
singulari benevolentia, & protectione Paterna gauderes.
Tantis Te stipatum affectibus, peculiaris quoq; favor & Gratia,
Perillustris, Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,

D. M. PETRI PRACZLEWIC,

S. Th: Doctoris & Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum, Pilecensis & S. Floriani ad Cracoviam Decani, Contubernij Hierosolymitani Provisoris &c.
ad quem Rectoralis Majestas munere Superûm devoluta, perpetuò fovit.
Tam generoso tramite, sentibus & spinis laborum circumsepto procedens,
in hac usq; Sacrata Divinioribus animis Domo constitisti,
è qua hodie, à dulcibus,
Clarissimorum, Admodùm Rñdorum, & Excellentissimorum DD.
Virorum amplexibus,
cum amaro cordolio raperis, an efferris.
Comitantur Te plangentes Musæ,
Præficarum modô funerea taxo densatæ;
Sacer Apollo sublime sibi cecidisse decus tacente chely indicans,
tristem Tuum sarcophagum frondibus cupressi intexit.
Nos Vniversi,
quibus, vel prostrata Tua submissio, vel pacific⁹ amor, vel mãsveta comitas
derelicta pectora miscet;
istud funebrali urnæ Tuæ luctuoso susurro insinuamus:
ut, qui, tristi offensione exagitatus, plaudente pectore superstes exprimebas:
VIVIT DOMINVS;
in tristi monumento depositus
VIVAS CVM DOMINO
IN ÆTERNVM.

